ETHICA
ITÆ RATIO,
SEV
MORALIA VITÆ
INSTITVENDAE
PRÆCEPTA,

Senariis acatalectis in studiosæ iuuentutis gratiam comprehensa:

PER F. LIBERTVM HOVTHEM Leodium, Hieronymianæ Professionis, Poëtam laureatum.

His miscellanea quædam carminum accesserunt per eundem.





ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij,
M. D. LXXVII.

SVMMA PRIVILEGII.

CAutum eſt regio priuilegio, F. Liberto Houthem Hieronymianæ profeſſionis, conceſſo, nequis alius præter Chriſtophorum Plantinum, librum cui titulus eſt, *Ethica vitæ ratio, &c. ipſo F. Liberto auctore*, imprimat, vel alibi impreſſum vendat hinc ad ſexennium, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XVIII. Septembris, LXXVII.

Subſignat.

N. de Zoete.

IN ΦΙΛΑΥΤΟΝ REPREHENSOREM.

Si ſcirem quæ ſcire putas, te doctior eſſem:
Nam te quæ neſcis plurima ſcire putas.

EXIMIA CVM ERVDITIONE, TVM VIRTVTE AC RELIGIONE DOMINO, REVERENDOQUE in Christo Patri, Domino GVLIELMO DVPAIS, amplissimi Floreffiensium collegij Abbati longè dignissimo, Domino suo ac Mæcenati perpetua fide colendissimo.



Es est, mi Pater & Mæcenas omni studio colendissime, nullis vnquam lacrymis satis deploranda, quòd mortalium vulgus maiori studio in eam potius curam, vt equi, canes, & alia id genus bruta rectè curentur, incumbit: quàm vt iuuentus recta institutione ad bene beateque viuendum componatur. Non moramur plerique mortalium, quo studiorum genere sese oblectet, qua morum consuetudine imbuatur ætas illa iuuenilis, quæ cùm in biuio sit, facili negotio huc atq; illuc impellitur. Quis vel Heraclitus satis deflere, vel Democritus ridere satis queat, supinam istam populi negligentiam, præposteram inquam hanc vulgi curam, qua nihil insulsius, ineptum magis, maiori cum Reip. damno conuinctum, fingi posset aut excogitari? Sunt certè qui hoc faciunt, aut sic cogitant, Anticyras (vt veteri prouerbio dici solet) relegandi, vt qui Helle-

boro, nec eo ſanè pauco, indigeant. Numquã ego in animum inducere potui, quòd ſobrij hominis cogitatione vnquam vſi, exiſtiment ortus ſui partem aliquam ad Remp. pertinere, quod tamẽ omnibus perſuaſiſſimum eſſe, & diuinus ille Plato volebat, & rectus rationis ordo dictitat. Si enim animis ipſorum vnquam ſubit hæc cogitatio, cur illud negligũt ex quo maximus ad Remp. fructus redundare poteſt, ex quo publica pendet ſalus? An non diſertè Hippodomus ille Pythagoreus fundamentum Reip. in iuuentutis educatione conſtituit, non diſſimulanter profeſſus, illam tanquam euerſa totius ædificij baſi corruituram, ſi hæc negligatur? In confeſſo eſt, quod & eloquentiæ Romanæ princeps ſcriptum reliquit, libro De diuinatione ſecũdo, nullum Reip. munus maius meliusq; afferri poſſe, quá ſi iuuentus rectè inſtituatur. Quid quod Horatius perpetuam felicitatem Romanæ genti precaturus, inter cætera,

Dÿ, inquit, *probos mores docili iuuentæ*
Romulæ gentis date?

Ad ſummum referre, vtrum ſic an ſecus iam inde à puero aſſueſcamus, ſcriptis prodidit, libro Ethicorum ſecundo, Ariſtoteles. Tales euadere homines, qualis eſt primæ ætatis educatio, ſcitè admodum Lycurgus Lacedæmoniorũ legiſlator demonſtrauit. Quis quæſo pe-

ſo peſtem multo funeſtiſſimam, omniumq; ſuppliciis, (vt Salluſt. & Tacit. loquuntur) auertendam, non arbitraretur rebus immiſſam mortalium, ſi videret homines in immanitatem belluinā degenerare? Atqui puer quemadmodum rectè educatus diuinum quoddam fit animal, ita perperam inſtitutus, aut neglectus, authore Platone, in immaniſſimam belluam, inaudita Ouidio metamorphoſi, transformatur. In eo otium negotiumque conſumunt omne, ſurſum, deorſum, curſitant, nihil intactum relinquunt, vt poſſeſſiones poſſeſſionibus, latifundia latifundiis accumulent, locupletandorum filiorū gratia; filios verò ſuos, quibus hæc omnia tot parantur laboribus, planè negligunt. quo quid ſtultius humana mens queat concipere? Mentem certè illis à ſuperis meliorem precor. Eorum quidem quoties ineptiam animo pertracto, & ipſorum ſortem quātumlibet opimam, prorſus deſpicio, & minus mihi noſtrum παιδαγωγίας piſtrinum diſplicet, quantumuis inexhauſtis cum corporis laboribus, tūm animi curis, ſuos præfectos ita ſollicitos detineat, vt ne ſcalpendis quidem interdiu auribus otium relinquat, noctu verò quietis commodum interturbet, poſtquam ab illa vulgi dementia nos longiſſimè ſeparat, quorum ſtudia omnia, omnis opera, cura,

industria, cogitatio, mens denique omnis, in eo fixa est, vt rudis illa ætas cum ad eruditionem informetur, tum probatissimis moribus excolatur. Huius functionis cùm imaginem quandam nuper, aliquantulum otij nactus, rudi carbone delineassem: nihil absurdi me facturũ arbitratus sum, si tibi, mi Pater, Mæcenas mi, meum columen, decus ac præsidium meum, Domine, inquam, præconiorum immortalitate dignissime, quicquid hoc & quantulumcumque erat, nuncuparem. Nam cui potius Musa nostra studere sudareque debeat, quàm illi, cuius vnius beneficio liberalitateque numquam satis laudata, hoc sibi contigisse, agnoscit merito, libentissimeque fatetur, imò non raro, neque obscurè gloriari solet, vt in suauissimo literarum otio acquiescat, & liberiori, etiam dum difficillima sunt inter Martios tumultus Reipub. tempora, carmen meditari possit auena? Sui sibi Dionysij liberalitate plaudat Cyzicenus Helicon. Prædicet Antilochus accepta Lysandro donante, versus ob pauculos, munera. Gaudeant quos Cæsarum ille primus Iulius, studiorum nomine, ciuitate donabat. Antonium cognomento Pium literarũ charis nomine, prouincias honoresq; decernentem, manibus in tertium (quod aiunt) cælum, si fieri potest, euehant Rhetorum poëtarumque

tarumque scholæ. Mihi certè vnus est DVPASVS, Præsulum huius æui decus haud mediocre; qui si summorum illorum Principum copiis opulentiaque superatur: propensissimo certè in literas earumque cultores omnes, (si quid iudico) fauore non vincitur. Ingratissimus sim omnium mortalium profectò, si non ipsius in me studiososq; omnes, animum, studiumque tam multiplicibus argumentis testatum, totque cumulatum beneficiis, vt illorum numerum mihi inire difficile sit, non agnoscam, ac tibiis (vt in prouerbio est) apertis celebrem decantemque. Hos itaque versiculos ad elegantiorum morum honestamentum iter iuuentuti sternentes, tibi mi Pater, tibi inquam, qui literarum virtutisque cultoribus id semper quod Diomedi Daunus, Alcinous Vlyssi, Euander Æneæ fuisti, merito dicatos; qua soles frontis serenitate suscipe: Patere obsecro tui celeberrimi nominis titulum, opusculo huic nostro veluti facem quandam prælucere, & me tuo nomini deditissimum clientulum; quo tua consueuit dignitas fauore; complecti perge. Candidiori certè me tum hostia litasse puto, cùm me vel inter calunculos tuos dinumerari sentio. Vale Musarum Patrone; vale literarum assertor: atque vtinam Deus opt. max. tuam amplitudinem instau-

randæ pietati, bonisque litteris euehendis, quamdiutissimè tueri dignetur incolumem.

Bruxellis è nostro Fratrum collegio, 8. Kal. Octobres, Anno 1577.

Tuæ in omnem vitam colendissimæ dignitati longè deditissimus clientulus,
F. Libertus Houthem,
Leodius.

EIDEM

EIDEM COLENDISSIMO SVO MÆCENATI F. LIBERTVS HOVTHEM.



FFENSVS *nuper petulantis murmure vulgi,*
Qui minimè sacris vatibus æquus erat:
Incepi Phœbum mæstis vrgere querelis,
Hic sermonis erat sensus & ordo mei.
Cur Latoe precor vates tua cura iacemus?
An tua iam nullum numina pondus habent?
Non ego me priscis compono vatibus, olim
Quos Mæcenatis tempore Roma tulit.
Sed quia vulgus iners fastu contemnit iniquo
Hæc aliquod nomen quotquot ab arte ferunt:
Hinc ego flebilibus necto mea verba querelis,
Et moueor studio nunc minus ipse meo.
Phœbus at excipiens iniusti verba doloris,
Molliter hac mecum voce locutus, ait:
An quia nos vani contemnit turba popelli,
Aonij fugies numina docta chori?
Optima nonne solet stolidum contemnere vulgus?
Est pulchrum populo displicuisse rudi.
Sunt alij procerum pars præclarissima, quorum
Vnus pro multis millibus esse queat.
Horum Pieriæ sunt vnica cura sorores,
Hi sacra Gorgonei flumina fontis amant.
Pocla soporifera Lethes gustasse videris,
Qui minus ingenio concipis ista tuo.
Huic agè commenda facilis tua carmina venæ,
Qui FLOREFFIACÆ *est Cœnobiarcha domus.*
Ille fauet doctis doctissimus ipse Camœnis,
Et sumptu Musas liberiore fouet.

Huc animi dudum fuerat propensa voluntas,
Idq; tui facerem me stimulabat amor,
O aui Præsul columen memorabile nostri,
O mihi Mæcenas patris amande loco:
Sed metui tam sæpe tuas nugacibus aures,
O vatum princeps, radere versiculis.
At nunc Phœbæi commotus numinis ore,
Liberius quò mens me rapiebat, eo.
Pulcher Apollo suum tibi cedit munus, & vnum
Musis patronum te cupit esse meis.
Hæc igitur capias vultu mea scripta sereno,
Mutus pisce magis Zoilus omnis erit.

M. AR-

M. ARNOLDI MOLANI A LOEMEL AD BRVXEL-*lenſes Proſopopoeia.*

SÆpe tuas Bruxella vices deflere coëgit
  Me meus ille tibi deditus vſque fauor,
Inſtituendarum ratio neglecta ſcholarum,
  Quòd mihi non rarò viſa iacere fuit.
Res nullo felix ſubſiſtet publica pacto;
  Dicere ſi quod res poſtulat ipſa, licet;
Feruida ni iuuenum his formetur legibus ætas,
  Docta pios mores, iuſtitiamque colat.
Quod gymnaſtica cùm poſſit præſtare matheſis:
  Curatam hanc omni ſedulitate velim.
O Regum Bruxella domus, cur nomine tanto
  Non agis vt quondam ſit ſchola digna tibi?
Obtulit ecce tibi ſuperi pia cura parentis
  Quæ votis fuerant ſæpe roganda tuis.
Contigit ecce tibi Libertus, laurea cuius
  Cæſaris ornarunt munere ſerta caput.
Ille tuam dextro moderabitur ordine pubem,
  Imbuet & Latio Cecropioque ſale.
Præſtabit ſtudio verè Libertus alacri,
  Qui mira ingenij dexteritate valet:
Vt tibi ſit ratio vitæ rectè inſtituendæ,
  Qua fieri poterit commodiore via.
Addo quòd & facilem libro hoc deducit ad artem,
  Diſcipuli mores officiumque boni.
Hunc igitur paſſis Libertum amplectitor vlnis;
  Sitque velut diuûm munere miſſus, habe.
Eſt dignus certè quem quiſque ad ſidera tollat,
  Antè minùs notum qui patefecit iter.

M. GE-

M. GERARDI ÆMILII, IN F. LIBERTI HOVTHEMII ETHICA.

Ζωγράφος οὗτος ἄριστος, ὃς ἐν πινάκεσσι χαράξει
Ἀτρεκέας μορφὰς, ἔμπνοα δερκομένας,
Οὐχ ὃς χρώματα πολλὰ ϗ εὔχροα μὰψ ἐπιμίξας,
Οὖρος δενδροφόρον δείκνυσιν ἐκ πίνακος.
Καὶ στιβαρός τε στρατὸς, καὶ ἀρήϊος ἀντὶ καλοῖο,
Λαμπρὸς ἐμοιγὲ δόμος δεύτερος εὐπαγέος.
Οὕτω μισοπόλος πάντων πολυφέρτατος ἀνὴρ,
Εὐαγέα γράψας ἐν πινάκεσσιν ἔπη.
Παντοδαπὴν παιδεῖαν κ᾽ ἤθεα κεδνὰ διδάσκων
Δῶρον ἄγων ζωῆς ἐλπίδα λαμπροτέρης.
Οὐ περὶ ἀνδρανέων, ὃς πολλὰ ἐτώσια βάζει,
Μαψιδίους τε λόγους ἐν σανίδεσσι γράφων.
Νῦν ἐπέεσσιν ἐμοῖς νέοι ὑποκλίνετ᾽ ἀκουὴν,
Βάλλετε μῦθον ἐμὸν ἐν φρέσιν ὑμετέραις.
Πλασθῆναι ἁπαλὰς φρένας ἤθεσι κυδαλίμοισι
Σπεύδετε, τῆς ἀρετῆς ἔθλα διδασκόμενοι.
Μείλιχος, ἡδυεπὴς Λιβερτὸς πάνσοφος ἀνὴρ
Δεῖνον ἔπος κ᾽ ἀγαθὸν γράψε, ϗ ἐλλόγιμον.
Τοῦτο λόγων κλέος ὑμῖν κ᾽ ἀγλαΐην συνάγειρε,
Τοῖς ἐπὶ πολλ᾽ ἐμόγης ἄμμι χαριζόμενος.
Πολλ᾽ ἀρετῆς ὡς κ᾽ εὐσεβίης παιδεύματ᾽ ὀπάσσοι,
Πᾶσι μὲν εὐμενέων τοῖς τελέθουσ᾽ ἀγαθοῖς.
Τοῦτ᾽ ἐνὶ χέρσιν ἔχειν χρὴ ϗ κατὰ νύκτα καὶ ἦμαρ
Εἰ μέγα κῦδος ἐρᾷς, ϗ πολὺν ὄλβον ἔχειν.

EIVS-

EIVSDEM EPIGRAMMA.

MOribus ornari vultis pueri, atque Mineruæ
Dotibus? huc auido pectore ferte pedem.
Vos quibus ingenium, & melioris temporis ætas
Munera Muſarum carpere ſacra dabunt.
En Latia carmen cecinit teſtudine Vates,
Quod pariter vobis munus vtrumque dabit.
Sunt hæc magna ſatis (me iudice) munera: ſi quis
Parua tamen credit, ſufficiuntq́ minus,
Ibit ad authorem, mox diſcet forſitan eſſe
Plus ſatis id, ſibi quod non ſatis eſſe putat.

IN MOMVM ÆMILIVS, SVB AVTHORIS PERSONA.

SIc mihi liuor iners ſeruare ſilentia ſemper
Præcipies, dentes & trepidare tuos?
Quæq́ue vibras in me ſcelerata ſpicula dextra,
His latus opponi cogere inerme potes?
Iuſta nec impendi patieris verba dolori?
Deq́ue manu excuties vindice tela mihi?
An quem tu lædis manifeſto crimine, victum
Hunc nihil in viuis credis habere loci?
Quem ſemel infami roſiſti dente, negabis
Præſidij huic quidquam in vatibus eſſe bonis?
Falleris, ah, non eſt liuor tua tanta tyrannis,
Munera vt in vatum ſceptra tenere queas.
Quin niſi compeſcis rabidum, veſane, furorem,
Eſſe meas validas experiere minas.
Nec meus in longum tempus dolor ibit inultus,
Cauſſa tibi centum vulnera mortis erunt.
Sunt mihi complures lectiſſima corda Poëtæ,
Quos & idem ſtudium iunxit, amorq́ue mihi.
His, mihi credo, dolor iuſtiſſima cauſſa doloris
Noſter erit, properat funeris hora tui.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

EN prodit lepidus tibi Libellus,
Quem fecit columen tuum, Iuuentus,
Libertus facili Poëta vena,
Linguæ gloria Doricæ & Latinæ;
Libertus pater elegantiarum,
Dulcis Pieridum comes Sororum,
Fons vberrimus eruditionis,
Insignis moderator is iuuentæ,
Et sidus patriæ suæ coruscum.
Auctori vt decori est suus Libellus,
Sic Auctor decorat suum Libellum.

EPIGRAMMA D. ET M. SEBASTIANI PAVNELLII AQVENsis, ad Libertum Houthenium, de ipsius libello, cui titulus *Ethica vitæ ratio.*

HVnc vt perspexi(dictu mirabile) quanta,
Perlectus, nobis dexteritate placet!
Edocet omnigenam nitidissima dogmata pubem,
Continet innumeras ille Libellus opes.
Si quisquam Orator bonus est,idemque Poëta,
Delitium Graiæ Palladis & Latiæ,
Hic ille es nobis, quem de tot vatibus vnum
Nostra sibi fieri Musa præoptat herum.
Nostra tuo tantum demulces pectora cantu,
Quantum Virgilius,Naso vel ipse solet.
Exponis Ciceronis opes, gemmasque Maronis,
Hessæi vatis plectra sonora refers.

Obuius

Obuius à teneris tibi Phœbus, & obuia Pallas,
Quæ tua Caſtaliis ora rigauit aquis.
Blanda tibi ſacræ nudarunt vbera Muſæ;
Pauerunt Charites, Mercuriusq́ue pater:
Qui canis arguto dulciſſima carmina plectro,
Pieridum docto carmina digna choro.
Viſa Camœnarum tibi florida prata, ſupellex
Tota Poetarum conciliata tibi.
Cecropio dulces mihi diſtillare videris
Ore fauos, quoties verba diſerta ſonas.
Nam velut apricos muſſans apis inuolat hortos,
Vt ſibi collecto poplite mella legat,
Floribus inſtrepitans crebro thyma dulcia morſu
Vellicat, vt dulces exprimat inde fauos:
Sic varias luſtrans pernox & perdius artes,
Colligis ex omni ſenſa profunda libro.
Senſa profunda legis, ſtudioſa indagine voluis
Quidquid Apollineæ pagina frugis habet.
Nil niſi Pierides, Charites, niſi Pallada, Phœbum
Et ſpiras cælum, nectar & ambroſiam.
Cynthius vt cælum depulſa nube ſerenat,
Floribus vt vernis exhilaratur humus,
Vt ſomni atq; dapes hominum corpuſcula paſcunt:
Ars tua ſic animum recreat & reficit.
Inſignes genuit tellus Leodina poëtas,
Verùm te nemo vincet in arte tua.
Exornas patriam, teneram informando iuuentam;
Duritiem morum, barbariemq́ue domas.
Tu teneros ſemper (veluti facis) imbue fœtus,
Vt Samio dextrum vate ſequantur iter.
Qui ſeruire Deo teneris incepit ab annis,
Hac æuo perget vel grauis ire via.

Macte

Macte animo, macte ingenij virtute, parato
   Immortale tibi nomen, & astra poli.
Aurea & ingenij vena isthac vtere, quæso,
   Liberte, ingenij stat sine fine decus.
Quid prodest domini vel quantulacumque talenta
   Defodere? est sanè Musica operta nihil.
Viue nouenarum decus atque corona sororum,
   Viue, vale, patriæ spesque decusque tuæ.

MORA-

MORALIA VITÆ PRÆCEPTA,

PRÆFATIVNCVLA PARÆNETICA AD LEGVM ISTARVM AMPLEXVM.



Ti caballus spiritus efflans graues,
Huc ruit et illuc impetu præceps vago,
Recti relicto tramitis vestigio,
Ni sit lupatis domitus, ac calcaribus:
Sequitur iuuentus sic licenter insolens,
Virtutis inclytæ relicta semita,
Quocunque ducit error illam deuius,
Ni colla legum det premenda vinculis.
Proinde flectas huc iuuentus lumina,
Edicta vitæ dum gerendæ profero,
Ne nesciens quo vita agenda sit modo,
Laxis habenis, huc tuo pergas malo,
Vitiata quò natura nos pronos rapit.

SOMNO NIMIO NON INDVLGENDVM.

HOc esto primum. Cùm rubebit Memnonis
Parens, diurno solis astro præuia,
Tum, cùm propinquum lucis ales nunciat
Adesse tempus commodum laboribus:
Valere iussa protinus torpedine,
Relinque inertis plumeum nidum thori.

Siquidem sopori quod datur tempus, perit,
Iam recreatis viribus corpusculi.
Necessitati (ne breui corpusculum
Si careat alterna quiete languidum
Graui fatiscat sub laborum pondere)
Parere debet, non voluptati sopor.
Finitionem si soporis expetas:
Hunc esse verè dixeris mortem breuem.
Quid quæso differt dormiens à mortuo?
Vterque certè corporis sensu caret.
Vterque mortis liberatus vinculis:
Vitæ resurget ad fruenda munera.
Sed dormiens citius resurget mortuo.
Si iure somnus ergo mortis dicitur,
Quam sic abhorret quilibet, vocabulo:
Manifesta nunquid mentis est vesania,
Amare quod natura prorsus horreat?
Amare quod sit tam tuæ contrarium
Vitæ, diurno quàm tenebræ lumini?
Præstantis optas corporis formam, cui
Verenda tradi sceptra non sit indecens:
Hanc Marcus inquit Varro non contingere
Illis, sopori qui vacant licentiùs.
Si mentis optas perspicacis indolem:
Idem sopori non vacandum censuit,
Libro educandis scriptus est qui liberis.
Reuolue mente factitare quod solet
De pila Aristotelis plumbea.
Sophus, ἀναγνώστην prædicare quem Plato
Non inuenusto consueuit nomine.
Doluisse fama testis est Demosthenem,
Si victus esset opificum solertia.
Non esse dignum deputabat, sordidi

Caussa

Caussa lucelli, plebs prophanis artibus
Maiore mentis impetu sit dedita:
Quàm nos honestis artibus, quas, libero
Quòd homine digna, liberales dixeris.
Natura somno congruum per ordinem
Obscura noctis consecrauit tempora.
Hoc voluit inquam summus omnium parens,
Dies labori, nox quieti seruiat.
An non videmus, cùm polo Thaumantias
Nocturna sole pellit orto lumina,
Pictas volucres cum feris, relinquere
Latebrosa noctis protinus cubilia?
Imò diurnos anteuertunt sideris
Solaris ortus, quos adorant supplices
Barrhi, nec hominem iam pudebit stertere,
Phœbea donec lampas altos ætheris
Scandens gradus, horam reducat septimam?
Si vera vatis exulis sententia est,
Qui nocte tota sustinet quiescere,
Somnumq; magni premij ducit loco:
Notandus infelicis est cognomine.
Non ergo magnam nos diei & optimam
Qui portionem desidi somno damus,
Notam probrosi nominis merebimur?
Asellus iste corporis stimulandus est,
Vt excitare consueuit ad preces
Vxorculam Tobæus ille iunior.

QVID SVSCITATVM FACERE DECEAT.

IAm suscitatus quid facessas accipe:
Summum fideli mente numen inuoca,

Cui memento gratias persoluere,
Quòd prosperam noctem tibi concesserit.
Precare solem sempiterni luminis
Cuius creata cuncta viuunt munere,
Qui lumen adfert introgressis limina
Huius theatri, quod refusus circuit
Gurges patentis æquoris latissimè,
Illuminare mentis vt noctem tua
Dignetur, atris ne tenebris obsita,
Impingat, & se criminum nocentium,
Diuina violans iura sacri fœderis,
Abominandis sordibus contaminet.
Nam quisquis huius luminis caret face
(Est tanta nostri generis imbecillitas)
Densissimis mersus tenebris, deuiam
Totum sequetur semitam per æthera.
Est quem salutis cura tangat propriæ,
Summo placere gestientem numini,
Dum pacta sacri fœderis facessere
Manuum studet pedumq; fretus viribus?
Ni Phœbus iste præuiam gestet facem:
Verbum salutis non queat vel proloqui,
Multo minus patrare facta fortia,
Quibus meremur templa sancta cælitum.

QVID AD DEVM INVOCANDVM NOS EXCITARE DEBEAT.

Narrationis rectus ordo postulat
Doceat sequenti nostra Musa carmine,
Quid ad inuocandum te mouere debeat
Rerum parentem conditarum maximum.

Oportet

Oportet alta mente tecum rumines
Tui potestas conditoris quanta sit,
Qui cuncta nutu procreauit vnico,
Sedile cuius tota cæli machina est,
Pedum scabellum terrei moles globi.
Deinde quàm sis vile plasma, fictili
Tellure veri quod quidem Promethei
Fecit voluntas, igneus cui vigor
Infusus, ipsi numini par fecerat:
Verùm quòd aures admouendo credulas
Stygiæ paludis execrando dæmoni,
Sese sub omnes bestias deiecerit.
Miseria nostra quanta sit vitæ: satis
Quouis die demonstrat experientia,
Dum mille semper cladibus circumdatur.
Huic immorari sed lubet diutius.
Id Lucianus exprimit feliciter, In Charonte.
Momenta vitæ comparans mortalium,
Vacuo tumori, qui per vndam visitur,
Stridente terras appetit cum turbine
Nimbus, sonoris profluens è nubibus,
Vt cùm procellas excitant Atlantides.
Homerus illam cogitans angustiam,
Qua nempe nostra vita circumscribitur:
Homines caducis comparauit frondibus. Glaucus apud Homerum Iliad. 6.
Sed vicit illum, Fabio cui iudice Pindarus.
Lyricos poëtas inter omnes Græcia
Debet supremam gloriam poëseos,
Vt nemini Flaccus putet imitabilem,
Dum nos inanis somnium vmbra dictitat. Locus est in Pythiis hymno 8.
Hinc ille, Marcus quem putauit Tullius
Tot esse vatem nobilem sententiis,

 Quot

Quot verba tragico comprehendit carmine:
Felicitatem, ſi qua ſit, mortalium,
Vnius eſſe dixerat diecula.
Sed cenſor illum vellicat Demetrius,
Diem quòd vnum dixerit, qui verius
Dixiſſe punctum debuiſſet temporis.
Quid quod Poëtæ fabulis delineant,
Vitam ſororum de colo fatalium
Pendere noſtram, ſeu tyranni Lydij
Opibus, (quibus ſe ter beatum credidit)
Simus ſuperbi, ſeu binominis grauem
Feramus Iri pauperes moleſtiam?
Vllo nec eſſe diſpares diſcrimine,
Niſi grauiore quod tumultu decidat,
Sublimius quem ſuſtulit Rhamnuſia,
Cùm ſtamen occans Atropos ductum ſecat?
Hæc ſortè ridet quiſpiam, poëticis
Accommodandam fabulis negans fidem.
Sed ille nugo quiſquis eſt, circumferat
Quocumque tandem collubeſcit lumina.
Videbit iſta, luce Phœbi clarius
Cùm ſpatia medio cæli in axe diuidit,
Quæ fabulis produntur exhiberier.
Libitina nunquid quos eoo videras
Surgente Phœbo, viribus precellere
Qui poſſe fortem crederentur Hectora,
Phœbo cadente condit vrna flebili?
An non idipſum ſcena rerum perdocet,
Spectare cuius exitum deſiderant
Miſeranda quotquot Belgij tellus alit?
Exempla gentis vt vetuſta negligam.
Tot vita noſtra cladibus circumdatur,

Euripides apud Plutarchum. Non ἡμέραν μίαν, ſed στιγμὴν χρόνου dicere debuiſſe ait.

Menan-

Menander ille vt dixerit verissimè:
Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.
Et rursus ille, quem Molossi dum redit Euripides.
Ab Archelai regio conuiuio,
Immanitate dissiparunt dentium:
Ἐγὼ τὸ μὲν δὴ πανταχοῦ θρυλλούμενον,
Κράτιστον εἶναί φημι, μὴ φῦναι βροτῷ.
Affligit atqui quo magis necessitas,
Vrgentibus periculorum casibus:
Hoc sunt magis Dei vocanda numina.
Vt vulgus affert maximam vim fluminis,
Vbi maximè Vulcanius sæuit furor:
Tum maximè cælestibus vota faciunt,
Qui profluentes æquoris sulcant vias,
Cùm fracta malus, linteis cadentibus,
Sursum deorsum prora, puppis, voluitur,
Tabulis relisis vnda cùm nauim occupat,
Nec iacta quicquam præsidî fert anchora.
Sic nos profectò, negligas vt cætera,
Necessitas deberet ipsa reddere
(Vt publicum prouerbium sonat) pios.

QVID DEINDE IVVENI AGGREDIENDVM SIT.

Deinde veram cùm tibi persuaseris
Bello potentis Herculis sententiam:
Τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν.
Et rursus illud Æschyli diuerbium,
Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός·
Manus labori tempus est aduoluere.
Vt terra siquidem, quamlibet sit fertilis,

Si negligatur, pressa lolij pondere
Nullam reducit rustico messem gregi:
Sic & iuuentus comparatam mentem habet,
Vt ni bonis statim imbuatur artibus:
In quodlibet praeceps eat sceleris genus,
Quod maximè contingit his, quos maximis
Res ipsa natos testis est virtutibus,
Neglecta ni fuisset educatio.
Socrates. *Hinc haustus ille quem cicuta sustulit,*
Rasa tabella comparabat schemati
Ætatis annos lubricæ rudes, quòd his
Quæcunque tandem facile sit committere.
Humanus animus non potest quiescere.
Aristoteles: Mens vagatur in perfectum. *(Humana mens, Stagyræus vt senex docet,*
Semper vagatur appetens perfectius.)
Hunc ergo si non occupes rebus bonis:
Vbi semel cupiditate se mala
Deuinxerit, necesse consilia sequi
In Heaut. *(Vt author est Terentius) simillima.*
Si fortè quæris quem putem vel maximè
Tibi laborem persequendum: dixero.

PRÆCLARE FACERE ADOLESCENTES QVI A TENERIS STATIM ANNIS AD LITTERAS ANIMUM APPELLUNT.

Παιδεία nuper Lucianum dum lego,
(Humanitatem quam Latini nominant)
Occurrit, atque collocuta, splendida
Orationis inquit inter lumina,
Hoc vsa verbo, quo solet dum paruulos

In disci-

In disciplinam suscipit tyrunculos.
Si tu paratum legibus pectus meis
Adfers, nec huius te magistra pœnitet:
Præclara veteris gesta monstrans sæculi,
Ætatis huius te leuabo tædio.
Ætate sis quidem puer, sed pectore
Plusquam senili præditus, discrimina
Vitare possis quæ iuuentam distrahunt.
Deinde pulchris excolam virtutibus,
Quod te supremis proximum Diis facit.
De mente qua tu bestiis præstas loquor.
Pietate vera te Diis gratissimum,
Modestia te ciuibus charum tuis,
Prudentia tutissimum inter asperos
Casus, rotant humana qui gyro leui,
(Neronis ille ceu magister dixerat) Seneca.
Reddam, breuique te docebo tempore
Sic, vt beatum diuitemq; prædicent
Vno ore cuncti, maximis honoribus
Te prosequentes, laudibusq; maximis.
Primum tibi locum relinquent quos genus,
Et quos in arca conditus πλοῦτος beat.
Quacunque de re verba tandem feceris:
Omnes hiantes audient, vt Delphicum
Oracla numen cùm refert petentibus.
Peregrina visas orbis et si climata:
Ignotus haud vnquam tamen versaberis
Egens, famisq; triste pondus sustinens,
Certatim amicum te sed omnes expetent,
Tali beatum filio dicent patrem,
Imo supremi funeris post tempora:
Adesse doctis & bonis non desines.

Demosthenes fabri filius.

Demosthenes quo patre sit natus tenes,
Meaq́, rursus quantus opera euaserit.
Palpare propter me solet pauperculum
Totius orbis rex Philippus Æschinem.
Quid multa? quis vel cæcus id non perspicit
Hos optimè facere, vacant qui litteris
Ætatis à tenellulæ cunabulis?
Felicitatis esse supremum gradum
Studiis vacare dictitabat Socrates.

PRÆCEPTORES COLENDI.

LVdi magistrum consecutus, filij
In hunc amorem sedulo fac induas,
Et is vicissim te velut parens amet.
Gradus hic ad eruditionem est maximus,
Perinde nec quidquam officit discentibus:
Ac efferata pectoris libidine
Odisse, quo docente discunt litteras.
Quis curat eius dicta quem non diligit?

Iuuenalis Sat. 7.

Satyrographus maioribus vult optimè,
Sancti parentis qui volebant vt loco
Præceptor esset, quod sibi persuaserat
Pellæus ille totius mundi tremor.
Indignus vt qui viuat, æstimandus est
Qui non colit suos parentes, à quibus
Habet quòd aura vescitur celsi ætheris:
Indignus esse sic videtur litteris,
Antistites qui litterarum non colit.
Natura nostris comparauit moribus,
Vt hos amore prosequamur mutuo
Qui nos amant, beneficiisq́ nos iuuant.

Sunt

Sunt ergo iure diligendi maximo
Qui nos docent, vt optimum qui munerum
Donent alumnis munus, atque maximum.
Veteris reuolue cuncta scripta sæculi;
Videbis illos maximos euadere,
Rectè magistris qui suis obtemperant.
Siculus tyrannus cùm Platoni diceret,
Hoc ense quidam demetet tibi caput:
Xenocrates qui fortè tum præsens erat,
Nemo, inquit, eius demetet ferro caput,
Caput bipenni ni reuellat hoc prius,
Vitam paratus pro magistro fundere.
Quid ergo nos qui Christiano dogmate
Ad summa cæli præparamur atria;
Doctoribus debere nostris crederes:
Cùm tam pij sint in magistros ethnici?

PROBITATEM IVNGENDAM LITTERIS.

AD consequendas litteras multum facit
Amor magistri, quas parum sit consequi,
Ni pectus ornes moribus lectissimis.
Præstaret imò te carere litteris,
Humanitatem si velis contemnere:
Habere pectus Delphico quàm numine
Plenum, os disertum, nobilem stylo manum.
Qui doctus est & improbus, non admodum
Furente differt, mucro cuius in manu est,
Quo possit omnes obuios inuadere.
Non sic nitentis coccinus pannus togæ
Spurcissimis contaminatur sordibus,

(Seu

(Ceu dixit olim Plautus ille Comicus)
Vt collinunt doctissimum mores mali.
An non habetur omnibus ludibrio,
Qui se professus musicum, cantat malè?
Aut qui Palamonem professus Rhemnium,
Latina nullo verba nectit ordine?
Exibilatur omnium sic scommatis,
Humanitatem qui professus, nil habet
Humanitatis in scelesto pectore.
In litteris qui promouet, nec efficit
Vt moribus pectus nitescat optimis,
Cancrina certè figit hic vestigia.

QVIBVS CVM HABENDA SIT CONSVETVDO.

Frustra docet vitare frondes, qui simul
Vitare siluas sedulo non præcipit.
Frustra viderer sic docere toxica
Vitanda morum, ni simul quonam modo
Possint caueri ex me iuuentus audiat.
Non est nihil, quod vult vetus parœmia,
Animantibus non admoueri illis manum,
Quibus atra dorsi cauda spinam terminat.
Volebat hoc antiquitas prouerbio
Conuictu ab improbo suos deducere.
Nam quisque talis qualium commercia
Sectatur, esse consueuit, nec magis
Ab improborum liber est contagio,
In improborum qui vagatur semita,
Quàm si per ignes æstuantes ingredi
Quisquam velit, nudis tamen vestigiis,

Furentia

Furentis ignis liber est ab impetu.
Venena serpens non potest absentibus
Afflare, quare si sapis nocentius
Serpente quouis improbos vita malum.
Sophus ille secum qui ferebat omnia, Bias.
Ingens adire credidit periculum,
Qui se marinis fluctibus committerent,
Ingressi easdem cum nocentibus rates,
Quòd sæpe summus vindici Deus manu
Caussa malorum puniat bonos simul.
Æsopus ille fabulator, ludicro
Celauit istud fabulæ sub cortice,
Narrationis hanc secutus formulam:
Volucribus tendebat auceps retia,
Quò se volucrum vis agebat maxima,
Delusa cantu prouocantis aucupis,
His inuoluta cùm foret ciconia:
Pietate sese prædicare maximam
Cœpit, parentes quæ senili póndere
Fessos iuuet, nec inferat cuiquam malum.
Respondit auceps talibus: præstare te
Pietate summa (crede) non sum nescius,
Volucribus sed capta cum nocentibus,
Multare collo quas retorto cogito,
Pœnas easdem quas dabunt illæ, dabis.
Strictis necandum corpus offert ensibus,
Qui se malorum dedicat consortio.

VESPERI SVBDVCENDA VITÆ RATIO.

CVm Phœbus alto merget oceano caput,
Tali dies claudendus est catastrophe:

Fac

Fac ipse tecum supputes quid feceris,
Quid dixeris, quid mente tractaris tua,
Toto diei prateracti tempore.
Admissa si qua perperam deprenderis,
Deum rogabis vt remittat supplici.
Si laude dignum quippiam perfeceris;
Deo memento gratias persoluere,
Vt somnus opprimat vacantem talibus.
Pythagoræorum consuetudo. *Veterum sophorum factitabat hoc schola,*
Veræ salutis qui iubar non viderant,
Quibus foret turpissimum concedere,
Qui Christiani nominis palmam ferunt.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ HORVM MONOSTICHIS COMPREHENSA.

Gerendus est æquissimis mos legibus.
Vacare somno longiori noxium est.
Luci dabunt exordium preces piæ.
In litteris vitæ terenda est portio.
Est in parentes Diis amor gratissimus.
Ludi magistros æquitas iubet coli.
Mores oportet litteris coniungere.
Ornant iuuentam sancta contubernia:
Contrà, iuuentam societas perdit mala.
Oportet ipsum vesperi te iudices.
Est deprecanda culpa si quam admiseris.
Linquenda vitæ palma non est ethnicis.
Musas perenni iunxeris tibi fide,
Omniq; dignus gloria censeberis,
Nihil supremo gratius te numini,
Tibi tota vita si his agatur legibus.

Τέλος.

IN NA-

IN NATALEM REDEMPTORIS HVMANAE CONDITIONIS IESV CHRISTI ORATIO.


I quibus eloquij fuit aurea vena Poëtæ,
Mæonis vsi fidibus, grandiq; cothurno,
Comica futilibus cecinerunt ludicra nugis:
Cur ego si faueat mihi carminis auctor Apollo,
Turpe rear, mota testudine dicere carmen,
Vtilis vt placido resonet modulamine cantus?
Pugnantes docto cantauit carmine ranas,
Diruta qui scripsit Graiorum Pergama telis,
Smyrnæus rerum sapiens speculator Homerus.
Andinus culicem celebrauit carmine vates.
Inuitat volucres teneri præceptor amoris,
Alitis in rara miserum diuertere funus.
Detinet attentas numerosus Horatius aures,
Nata falerna probans vbi prope Tyburis arces,
Obscurosq; locos agrestis & otia vitæ.
Lasciuo placuit passerculus ille Catullo.
Expugnata canit Lethæi mœnia Regis
Claudius, atque sua viduatum coniuge Ditem.
Puppis Iasoniæ, Scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, fuluæ spoliauit vellera lanæ,
Insigni cantat Flaccus præconia versu.
Denique si numero satagam comprendere, quotquot
Aurea lasciuis tribuerunt tempora nugis,
Cùm Latio tamen & Graio sermone diserti
Vtilibus doctè confundere dulcia possent:
Tam facili cura numerum complectar arenæ,

Quæ

Quæ iacet æquoreo, ventis agitanda, recessu.
His igitur tantum tribuit si docta vetustas,
Crederet vt sacro perflatos numine, quando
Lascino resonas agitabant pollice chordas:
Quis mihi det vitio, moueam si carmine plectra
Annua dum recolo sacri miracula partus?
Quem vel Stentoreo latitent in gutture linguæ
Tot mihi, quot foliis æstiuo tempore vernant
Silua, non possim meritis celebrare triumphis.
Ascra me nunquam Musa docuere sub antris,
Oscula nec Phœbus nascenti dulcia fixit;
Attamen audentes quoniam fortuna subinde
Prouehit, Æoliis concedam carbasa ventis.
Si labor iste tamen careat successibus: oro,
Rebus vt in magnis voluisse sat esse putetis.
Sed quid circuitu prosunt exordia longo?
Nil mihi cum Musis, vanus discedat Apollo,
Hæc alium siquidem Palinurum cymba requirit.
Huc ades ergo tui genitrix & filia nati,
Huc hominum Spes vna veni, Spes vna Deorum,
Alma parens, salua qua virginitate, salutem
Optatam per tot peperisti sæcula mundo.
Si tua submisso veneramur numina vultu,
Si te post natum primo dignamur honore,
Huc ades, & cœptos præsenti numine cursus
Dirige, nutantem rege per vada cærula puppim.
Huc ades, & teneræ moueas sic organa vocis;
Vt cœpto de te possim superesse labori.
Viderat hic vno qui condidit omnia nutu,
Viderat astrifero qui despicit æthere, quicquid
Marginibus vasti complectitur orbita mundi,
Quicquid multipara Telluris viscera celant,

Quicquid apud Stygiam degit sub Dite paludem,
Viderat huc, inquam, Phlegethon vbi sorbet arenas
Ardentes, animas diuino semine natas
Certatim properare, petens vt flebilis orcum
Ingluuiem Stygij satiaret præda leonis.
Hæc mala tartarei perfecit sibilus hydri.
O nostri generis nimium malè credula mater,
Quàm malè tractasti miseros primæue nepotes,
Cùm sacra demorso violares fœdera fructu.
Tantum lethifera poterant contagia culpæ.
Ingenito tandem Dominus succensus amore,
Nobile prosequitur manuum quo plasma suarum,
Hæc alto secum repetit sub corde volutans:
Ergóne pallentes Erebi descendet ad vmbras
Perpetuò, nulla reparabilis arte, nec vllo
Tempore persoluet primi commissa parentis,
Quem decuit veteres cæli reparare ruinas?
Ergóne pars operis quæ perfectissima nostri
Debuerat vacui replere sedilia cæli,
Corruet æternùm Stygias crucianda sub vndas?
Ergóne de misera cantabit gente triumphum,
Qui nostros quondam stultè sperauit honores?
Hoc superet potius, sancto quod semina cælo
Ducit, & æternum cognoscit mente parentem.
Deponam potius iustas placabilis iras.
Est mihi nam proprium misereri semper, & vltrò
Supplicibus facilem concedere vocibus aurem.
Quid faceret? iusto plectebat facta furore
Impia, primæuum damnans Astræa parentem.
Ille parum gratus paradisi cultor amœni,
Dignus erat tota cum posteritate perire.
Sed victus flexit iuris decreta seueri,

Cui mare veliuolum, cui tellus paret, & æther.
Hoc siquidem populi tactus pereuntis amore;
Accitum tali natum sermone moratur:
Ipse vides, etenim mecum simul omnia nosti,
Quàm numerosus eat populus sub tartara, nostri
Hostis vt exaturent odium, quo feruet, ab alto
Æthere deiectus postquam cum fratribus, imum
Corruit in barathrum, violenti fulminis instar.
Ast ego nunc hominum sortem miseratus acerbam,
Illorum statui concedere fletibus aurem:
Vt quos victuros semper, superisq; crearam
Penè pares, diuûm tandem reuocentur ad oras:
Sed tamen vltricem nullus mihi molliet iram,
Qua potui totum disperdere funditus orbem;
Ni tu mortali vestitus carne, supremum
In cruce supplicium subeas, pro sontibus insons.
Hæc mea (non dubito) dum pectore quisque reuoluit
Dicta, parat secum multis rationibus vti,
Et quærit, cur aligeris de fratribus vnus
Non potius carnis diram sub imagine mortem
Pertulerit, iustam patris leniret vt iram.
Sed pater vt memores magis, ac maioribus arctos
Vinciret meritis homines, qui cuncta piaret,
In terras summo natum demisit olympo:
Hunc, inquam, natum quem non effuderat vlla
Vel dea, vel solito mortalis fœmina partu:
Ipse sed æterna genitor conceperat illum
Æternum, æternus (dictu mirabile) mente.
O pietas immensa Dei, quam nulla tacebunt
Sæcula, venturi deductis orbibus æui!
Iam nos lethiferis mors circumuoluerat atra
Cassibus, obsessos iam nos torrentibus orcus

Impe-

Impediebat aquis, Stygia iam compede vincti
Hærebant homines, & tu pater optime, natum
Qui nos firmarat reparandi plasmatis ergò
Mittis, vt occumbat ligno suspensus ab alto.
Vicerat inferni quondam dominator Adamum,
Per lignum, ligno quem nunc succumbere fas est.
Annuit æterno soboles æterna parenti,
Annuit, & nutu totum recreauit olympum.
Nam velut inferna crudelia monstra paludis
Exitio gaudent hominum; sic quotquot in arce
Ætherea vitam ducunt sine fine beatam,
Diuorum gaudent numeris accedere Diuos.
Est Arabes inter, Tyria Sidonis & arua,
Palmiferamq; Pharon, Libycis qua iungitur oris,
Et mare quod lato fœcundam gurgite Cyprum
Alluit, Assyrij pars non ignobilis agri,
Terra ferax, belloq; potens, & splendida cultu.
Hìc vetus Andromedæ vinclis insignis Ioppe;
Antiqua prior illuuie, mundiq; ruinis.
Hìc reliquas inter Solymorum nobilis vrbes
Vrbs iacet, eximio templi prælustris honore.
Hìc sacra triticeæ Cereris domus eminet, atque
Nazareth ostentat paruæ fastigia molis.
Hìc virgo despõsa viro, cui nomen Ioseph
Stirpis Iessææ tectis habitabat in arctis.
Huc mittit celerem cæli per inane ministrum,
Rex qui perpetua mundum ratione gubernat,
Qui castæ diuina ferat mandata puellæ:
Virginea dicat sanctum quòd numen in aluo
Conciperet, ferretq; sacros sine semine partus.
Nec mora, carpit iter motis archangelus alis,
Qualis vbi summo stagnantia flumina monte

Despexit cygnus,niueo vestitus amictu,
Nec sibi dat requiem, donec potiatur amatis
Victor aquis: Zephyris sic ille iuuantibus ibat,
Et iam palmifera tractum regionis inibat,
Cùm videt haud humiles voluentem pectore curas
Reginam, paruo siquidem sua vota sacello
Narrabat superis,tedas exosa iugales,
Assiduis veterum studiis oracula voluens,
Peruigiliq́ legens cura Mosémq́ piumq́
Esaiam,mæstisq́ virum qui versibus vrbem
Deplorat Solymam, sanctiq́ poëmata regis,
Qui tetricis olim fidibus cantabat ad aras,
Sacraq́ fatidico psallebat ad orgia cantu.
Ipsam autem securam animi, latamq́ videres
Authorem sperare suum,namq́ affore tempus
Quo sacer athereis delapsus spiritus astris
Incorrupta pia compleret viscera matris,
Legerat:hanc vocitat bis terq́ quaterq́ beatam.
O nimium felix,inquit, nimiumq́ beata,
Casta cui sacro turgebunt viscera partu,
Quæ saluo fies genitrix veneranda pudore!
Non te crediderim mortali stirpe creandam,
Quam sacri tanto vates dignantur honore,
Aurea tu reuehes Saturni sæcula regis,
Irati septum limen reserabis olympi.
O mihi si quando iubar hoc spectare liceret,
Edita quo terras cantabitur illa per omnes.
Ecce repentino penetrat secreta volatu
Angelus,& subita perfundit luce sacellum.
Illa timens,vultum iuuenis miratur, & ora.
O si quæ nostra viuunt atate puellæ
Casti seruarent sic ornamenta pudoris,

Non

Non passim Danaës tam multas aureus imber
Vinceret, Ægisthus non sic regnaret adulter,
Penelopæ plures, Helenarum rarior esset
Prouentus, Veneris procul essent iura proterua.
Angelus arguto trepidam sermone salutans,
Pone metus, inquit, superis gratissima virgo:
Lætus ab ætherea venio tibi nuncius arce,
Æterni iucunda ferens mandata tonantis,
Conceptura nouos vllo sine semine fœtus,
Et prolem paritura Dei, cui nomen Iesu
Impones, populi siquidem delicta piabit.
Hinc animum virgo sedato pectore firmans
Substitit, & placido breuiter sic incipit ore:
Nil non posse Deum constanter credo, sed istud
Dic quaso, quánam credas ratione futurum?
Nil non posse Deum credis sanctissima virgo?
Hoc etiam fidei specioso nomine quidam
Se iactant, breuibus Gyaris & carcere digni,
Hæretico vitiata gerant quòd pectora felle.
Qualibus altaris rident mysteria sannis
Dij superi, stultis blaterantes argumentis,
Id fieri præter naturæ iura potentis,
Pluribus vno vnum vt spatiis sit tempore corpus:
Nunquid naturæ dominum quem lege coërcent,
Omnia posse negant? Procul ô procul ergo profani
Discedant, læsi vel placent numinis iram,
Hæreseos tetra vacuantes pectora labe.
Subiicit haud multis cælestis nuncius aula:
Ipse tuam Domini fœcundam spiritus aluum
Influet, implebitq́; potenti viscera partu,
Flammifero veniens cælo atque micantibus astris.
At tu virgineum mirata tumescere ventrem

Herebis pauitans, demum formidine pulsa
Gaudia seruati capies inopina pudoris.
Néue hæc vana putes, dictis aut territa nostris
Indubites, sera dudum concessa senecta
Dona oculos pone ante tuos; nam sanguine auito
Iuncta tibi mulier (sterilis licet illa, grauiq;
Pressa æuo) haud quaquam speratum hoc tempore pignus
Fert vtero, & fœlix sexto sub mense laborat.
Vsqueadeò magno nil non superabile cœlo est.
Si Deus ipse tuam veniens est lapsus in aluum
Gressibus occultis, tuaq; intra viscera corpus
Ipse sibi formans post nona tempora Phœbes
Exiit, humana velatus imagine formæ:
Cur non virgo tuum numen veneremur, & omnes
Cœlicolas inter primo dignemur honore,
Post natum, natiq; patrem cum pneumate sacro?
His dictis regina oculos ad sidera tollens,
Cœlestúmq; domos superas, atque aurea tecta,
Annuit, & taleis emisit pectore voces:
Iam iam vince fides, vince obsequiosa voluntas,
En adsum, accipio venerans tua iussa, tuumq;
Dulce sacrum, pater omnipotens, ne despice seruam.
Sic sic virginitas, simplex prudentia, velox
Et matura fides, humilisq; modestia, gratos
Efficiunt homines superis, rerumq; parenti.
Tum diuina grauem subitis conceptibus aluum
Extulit, atque sinus soboles extendit onustos.
Sicut in adductos penetrat cùm lubrica folles
Aura, cauernosum surgens tumor exit in orbem.
Sed iam longinquum spacio confecimus æquor.
Nascere parue puer, pressas caligine mentes
Mortifera, veri perfundas luminis ortu.

Nascere parue puer, mundi melioris origo,
Aduehe turbatis Saturnia sæcula terris.
Nascere parue puer, mundi sator, arbiter orbis.
Nascere parue puer, nostros quem soluere nexus
Et voluit tantos genitor perferre labores.
Sunt quos mendaci delectet gloria fuco,
Elatoq; velint contingere vertice cælum,
Immemores vili se natos puluere terræ;
Nascere parue puer posito splendore, superbos
Docturus quàm sit tibi grata modestia mentis.
Sunt quos magnifico delectent atria cultu,
Regia Phocaicis instructa tapetibus aula,
Nascere parue puer, siluestribus horrida culmis
Stat casa, quam volucri perstringit turbine ventus,
Hic ortus capias primordia Christe, videbunt
Paupertas humilis summo quòd iuncta tonanti
Gratior Attalico sit cultu, auriq; talentis.
Sunt quos ingrati vitium sic pectoris vrat,
Vt vix agnoscant proprium Dominumq; Deumq;;
Nascere parue puer, te cum boue tardus asellus
Agnoscent, tepidum spirantes ore vaporem.
Quid facimus malè grata cohors? animalia bruta
Nos vincunt pietate, gradum reuocare necesse est,
Et puer hic nostro loquitur quem carmine musa,
Omnibus est memori nobis pietate colendus,
Ne post offensi nequeamus iudicis iram
Flectere, cùm iusto librabit pondere, quidquid
Vel faciunt homines, dicunt vel pectore versant.

IN MONSTROSAM EFFIGIEM CARMEN AD LECTOREM CANDIDVM.

Horrida deformis qui spectas schemata monstri,
Et quid portendat discere fortè cupis:
Arrige purgatas subscriptis versibus aures,
Mox poteris voti compos abire tui.
Vrbs opulenta iacet stagnantis ad Albidos vndas,
Nomine VVeinmariam Saxonis ora vocat.
Hæc vanis quondam scriptis delusa Lutheri,
Nunc sectam sequitur pica Picarda tuam.
Vndosis, titubant semper, ceu fluctibus acti
Qui veram Christi deseruere fidem.
Nunc huc, nunc illuc incerta mente feruntur:
Queis fidibus multis luditur vna fides.
Non aliter, quàm cum digito saliente vocatur,
Atque leues agitat rustica turba choros.
Lux aderat toti populo celebranda piorum,
Qua datus æthereâ spiritus arce fuit.
Cùm duo, vulgata quos dicunt voce ministros,
Qui non vnius religionis erant,
Scandere suggestum populumq́; docere pararent,
Qui sub VVeinmariæ mœnibus vrbis agit.
Hic in mendacis iurarat verba Lutheri,
Caluino dederat nomen at ille suum.
Par vtrique fuit studium mendacia vulgo
Dicere, vulpina nectere fraude dolos.
Hoc sunt ingenio qui dogmata falsa tuentur,
Vt secum multos dispeiisse velint.

Hoc, inquam, cupiunt, tamquam palmaria res sit,
Nomen ab assectis conciliare sibi.
Sunt celebres certè, si laus est fallere multos,
Quorum decipitur credula turba dolis.
Interea vario dum pugnat vterque tumultu,
Dum sibi deberi clamat vterque locum:
Astitit hos inter mirando schemate monstrum,
Quale tulit pariens Gnosia mœcha bouem.
Immanem siquidem referebat vertice taurum,
Terribilis lata fronte iuuencus erat.
Lumina Gorgoneo rutilabant sæuiùs angue,
Vincebant oculum quæ Polypheme tuum.
Pigrum dixisses Lycia de gente molossum,
Tam monstrum longis auribus illud erat.
Ora Leonis erant patulo, sed hiantia rictu,
Qualia Samsonis dissoluêre manus.
Non illi vestes Gætulo murice tincta,
Purpura non illi bis saturata fuit.
Linea vestis huic multa fuligine tecta,
Nigrior Illyrica, Nariciaq; pice.
Ætnæis fuerat Cyclopum forsan in antris,
Cudit vbi superis Lemnius arma faber.
Multum dissimilis Bryaræo, brachia nulla,
Sed bubulos habuit lurida forma pedes.
Corporis haud caussa monstrum compono giganti,
Quod potuit ternos vix superare pedes.
Sed quid opus multis? Si quæris, lector amice,
Sub tali spectro quid latuisse putem:
Si non Caluini, si non fuit vmbra Lutheri;
Certè tartarei dæmonis vmbra fuit.
Nam velut in medio Dominus solet esse suorum,
Sic inter tales dæmones esse solent.

DE

DE GALLIS IOCVS.



IRVM *sæpè fuit tuo clienti,*
Primum Castaliæ decus cohortis
DVPASI*,pater & patrone vatum,*
Quonam Francigenæ furoris œstro
Huc rapti properent, uti ruinam
Regni percupiant sui videre,
Regni cuius honos,corusca quondam
Supra sidera splendidus micabat,
Nec curent patrias opes tueri.
Feruet Gallia bellico tumultu
Lustris iam tribus,amplius minusue.
Ciuiles acuunt tubæ maniplos,
Intestina ruunt in arma bello.
Omnis in proprio natat cruore
Tellus Francigenûm cadauerosa.
Tabo iam Ligeris fluente, ripas
Intra se nequiit suas tenere:
Imò puniceis aquis, marinos
Fluctus iam potuit nouo colore
Tinctos, à propria mouere classe.
Errant semirutas lupi per vrbes,
Humanosq; vorant licenter artus,
Humanoq; sitim cruore pellunt.
Quid multis? superant modum querelæ
Omnem Franciæ tui theatra luctus.
Nec vllum video tamen malorum
Finem, tam rabido ferox Erinnys
Excantare potest furore mentes,
Quas complexa suis flagellat hydris.
Hi non conueniunt iocis dolores.

Miscen-

Miscentur malè fletibus cachinni.
Sed nostræ veniam dabis Thaleiæ
Spero, qui tuus est patrone candor,
Si quod dum fluuium pererro Mosæ,
Nammurcensis iens ad vrbis arces,
Arces, quas Hymenæus excitato
Tum plausu recreans, thori iugalis
Aptabat Duicæ faces puellæ,
Faces ingenio tuo celebres,
A quodam memini satis facetè
Narratum, numeris Catullianis,
Quorum ritè potes parens vocari,
Vt quos in tenebris diu sepultos
Luci restituens resuscitaris,
Candori referat tuo DVPASI.
Legatum Geticus tyrannus olim
Misit Liligeri ad Ducis penates,
Qui cùm Parrhisios subisset, illo
Bacchi tempore festa quo coluntur;
Sub laruis agiles choros videbat
Ductari pueris, viris, puellis,
Cultos femineo viros paratu,
Mentitas habitu viros puellas.
Ad spectacla stupet, putatq; mentis
Isthac symbola percita furore.
Paulò post, Cinerum die reducto,
Cùm frons pulueribus sacris notatur:
Pallenti populum videbat ore
Cæli numina supplicem vocare.
Plebs mutata Getæ fuit stupori,
Et numen cineri subesse credens,
Quo lymphaticus effugatur error:

Hunc

Hunc emptum cinerem velit talento,
Vt quem Bistonio Duci placere
Multis posse putet magis talentis.
Hoc secum tacitus volutat, atque
Subductis rationibus, parandi
Vestigat cineris modum sacrati.
Mentem sollicitam, nouo subinde
Frons distincta colore, prædicabat.
Quod quidam fieri notans frequenter,
Coniungens lateri latus, rogabat
Num quis scrupulus anxiùm teneret.
Is desiderium suum fatetur,
Astutoq; doli ministrat ansam,
Nam spem continuo facit parandi
Huius pulueris, impetrante nummo,
Arcanum tacita, sed esse lingua
Tegendum monet, aut ait futurum
Vt sit supplicio sibi cadendum,
Quod res Christiadum sacras profano
Venales homini sit obtulisse
Multandum gladio nefas bipenni.
Gaudet Threicius, fidemq; firmat
Donato taciturnitatis auro,
Et magno cineres recondit emptos,
Hos pluris tamen æstimans emendos,
Tum grandem veluti sit assecutus
Rem, terræ repetit suæ monarcham,
Ac promens cineres, inesse numen
Illis non dubia fide probabat,
Vt qui visa sibi referret. hinc est
Cur iam Francigenæ suo furori
Quo se tam miserè suosq; perdunt,

Nullum

Nullum repperiant leuamen vsquam,
Hos postquam cineres Geta abstulerunt.

DE QVODAM QVI PVELLÆ PRIVS A SE, QVOD PVDICITIAM prostituere nollet, interfectæ, stuprum obtulit.

Ævi scripturus facinus memorabile nostri,
In mea Pierides vota fatigo nouem.
Nulla sed exaudit clamantis vota Poëtæ,
Surduit ad nostras iam chorus ille preces.
Sed tamen aggrediar tenui subtegmine carmen
Texere, rem notam versibus esse decet.
Hesperius nostris miles versatus in oris,
Dum sequitur quò se fœda libido vocat:
(In Venerem gens illa furit sine lege modóq;,
Quod vitium patriæ forsitan esse potest)
Incidit in castam lugenda sorte puellam,
Dignáque fortuna quæ meliore fuit.
Atque pharetrati furiis raptatus Amoris;
Vim parat, & Veneri libera fræna facit.
Calcibus illa stuprum, manibúsq; repellere tentat,
Et potiora nece hæc damna pudoris habet.
Hoc vtinam quæuis sit prædita pectore virgo,
Non tot Laïdulæ Thaïdulæq; forent.
Perstat amator atrox dum spe potiatur, & audet
Pugnantis ferro dilacerare caput:
Illa nihil commota: negat succumbere, nec vim
Curat, quæ precibus non dedit antè locum.
Quid multis? vitium prius haud est passa, cruento
Quàm gladio vita despoliata cadat.

O cru-

O crudele nefas, viduatum luce cadauer
Infando Veneris commaculare probro!
Hæc licet eiusdem prognatus origine gentis,
Narras præsidij miles Ibere Duci.
Quis crudele queat scelus inuisumq; silere?
Quis ferat in proprio talia facta patre?
Furua dein rapitur cæci sub carceris antra,
Expiet vt fuso sanguine latro nefas.
Ecce dies deceta neci iam proxima cælo
Aduehitur, volucri præcipitata pede.
Mittitur infando mystes qui fata latroni
Nunciet, in celsa mox obeunda cruce.
Ille sed (Hispanæ quæ sit fiducia genti
Disce, quòd hac vna discere voce queas)
Hispano quamuis deleri nomine culpam
Dicit, & à mortis se procul esse metu:
Rursus vt abscedat vanæ persuasio mentis,
Supplicio, mystes, se paret, vsque monet.
Denique rem certam verbis monituq; frequenti
Accipiens, animo multa subinde mouet.
Quò tolerata, inquit, post funera credis iturum?
Dixerat, iste refert: sidera summa petes,
Vmbra tibi plenum vegetat quæ sanguine corpus;
Ad Paradisiacas est abitura domos.
Hæc illi responsa nouis constare videntur
Verbis, tam nulla relligione fuit.
Ac exaudito Paradisi nomine, quondam
Auribus insonuit vox, ait, illa meis.
O stolidum crassúmq; pecus rerúmq; sacrarum
Expers, Christicolæ nil pietatis habens!
Quid precor audisti, si vox peregrina videtur,
In qua sperata meta salutis erit?

Porrò

Porrò si certo quod nunc promittis habebo:
Nil,inquit,metuo tristia fata pati.
Adiiciensq; minas, & morso pollicis vngue:
Id nisi contingat,numina iuro,caue.

DE LATROCINIO TRAIECTI AD MOSAM IPSA NOCTE NATIuitatis Dominicæ in sacra D. Seruatij æde perpetrato, An. 1575.

NEscio quo celebrent Hispani gaudia ritu,
Et quo transmittant tempora sancta modo,
Annua cùm redeunt casti miracula partus,
Quo Deus è pura virgine factus homo est.
Quis gaudere vetet? sed gaudia vana frequentant,
Et quæ scurra procax vix celebrare velit.
Traducunt illam siccantes pocula noctem,
Ponè subit turpis pocula multa Venus.
Et quam damnabant gentis decreta Latinæ,
His etiam pernox alea iacta cadit.
Quorsum hæc? narrandi quoniam hinc mihi nascitur ordo:
Visum Traiecti nuper in vrbe nefas.
Venerat ad metam series reuolubilis anni,
Ad Iani celerans festa bifrontis iter,
Nascentis quando cunas reueremur Iesu,
Quo pax,vita,salus,reddita dante fuit.
Iamq; vocabantur media sub tempora noctis
Ad matutinas plebsq; patresq; preces:
Cùm quidam rabidi furiis agitatus Orestis,
Ex Hispanorum latro cohorte ferox,

Patrauit

Patrauit facinus nulla delebile morte,
Non etiam tauro saue Perille tuo.
Hunc vbi nudasset damnosa canicula nummis,
Cérneret atque sibi iam superesse nihil:
Non tamen idcirco ludendi ponit amorem,
Nec studium quo se perdidit, odit inops;
Sed velut ignis edax flamma crepitante resurgit
Acrior, affusis quando rigatur aquis:
Et velut incautus dum sulcat nauita pontum,
Rursum saxa memor vertit ad icta pedem:
Sic licet obstaret rigida Rhamnusia vultu,
Ardor ludendi pectora maior habet.
Sed quo cum reliquis nudatus pignore certet?
Non nisi praesentis luditur aeris ope.
Hospitij repetit soliti penetralia demens,
Quae quidam è regno paupere ciuis habet.
Hospitis inde sui tectum clamoribus implet,
Vultu terribiles incutiente metus.
Vult sibi praesentis ponatur copia nummi,
Iura vel hospitij iam violanda putet.
Quid faceret furias formidans hospitis hospes,
Illius qui iam senserat antè manus?
Nummos contemnit vita quo consulat, atque
Quicquid habet, mauult perdere, quàm cadere.
O miseri ciues, nati infelicibus astris,
Quorum sunt tali colla subacta iugo!
Haeretici fuci multo grauiora merentur,
Ast vtinam insontes non premat illud apes.
Vix ierat rursus foedi sub fornicis antrum,
Cùm nummos talis perdit, vt antè, suos.
Fauerat & quoniam primo fortuna labori,
Senserat atque suas pondus habere manus:

D De-

Denuò pauperiem pro nummis hoſpitis vrget,
Aſt è multicauo pumice poſcit aquam.
Quis dare quo careat poſſit? contunditur ergo,
Elumbis media linquitur atque domo.
Hinc abit & furiis pectus maioribus implens:
Vulneraq́; & cædes mente volutat atrox.
Ingreſſúſque Dei, quendam, ſacraria, ferro
Perfodit, & ſacram ſanguine ſpargit humum.
Egregius verò fidei defenſor auita,
Per quem nulla illo ſunt ſacra facta die.
Sed tamen admiſſo ſoluit pro crimine pœnas,
Sub gabali trunco fata ſuprema ferens.
Quámque miſer cædem tenebroſa nocte patrarat,
Debuit exorto morte piare die.

ÆGIDIVS HOLY FRATRI LIBERTO SVO OMNIVM CHARiſſimo præceptori.

IVra Solon ſcripſit, Spartanus iura Lycurgus,
Sed vacui vera cognitione Dei.
Vnde fit, vt pluris faciam tua ſcripta Liberte,
Quàm quæcumque Solon, quæq́; Lycurgus habet.
Tu monſtras quanam cæli veniatur ad arcem,
Tu vitam formas, pectus, & ora ſimul.

M A-

MATTHIAS EVSTATHII F. LIBERTO PRÆCEPTORI SVO, multis nominibus colendo.

QVi tua scripta legit, peccat (me iudice) si non
Te similem priscis vatibus esse putet.
Magnus es eximia scribendi carminis arte,
Et veterum scriptis vtiliora doces.

NICOLAVS HERVIANVS F. LIBERTO, PRÆCEPTORI suo charissimo.

CVm tua scripta lego, ludi mihi chare magister,
Arbitror ingenio numen inesse tuo.
Dulcibus vtilium confundis dogmata rerum,
Hinc adfers nostro commoda tanta gregi.

THOMAS MASSOTTE F. LIBERTO, SVO PRÆCEPTORI maximè obseruando.

ESt mihi iucundum Phœbo Musisq; vacare,
Monstrat vbi tali Gnosias arte viam.

GVLIELMVS TAYE F. LIBERTO, PRÆCEPTORI SVO MVLTO colendissimo.

SI mea lingua foret qualis Demosthenis olim,
Romani qualis vel Ciceronis erat:

Non tamen assequerer, minimáue ex parte referrem
Pro meritis laudes docte Liberte tuas.
Qui tua scripta legit cura vigilante: disertus
Et sapiens nulla fit simul ille mora.
Namque ea commendant facundia siue lepores,
Et vita testes & documenta pia.
Instar inexhausti fontis facundia lingua est,
Hæc etenim multo flumine larga fluit.
Eximiis quare quis non te laudibus vsque
In cælum, digno semper honore vehat?

ALEXANDER CHASSEY SVO VNICE CHARO PRÆCEPTORI, F. Liberto Houthem.

AOnio si quis poscit de fonte liquorem:
Hauriat hunc scriptis docte Liberte tuis.
Tanta tuis scriptis pietas, & gloria versus
Tanta tui, vt latices hic rear Aonios.

IOANNES BANELT LEODIVS, PLVSQVAM PATERNA SANCTITAte colendo suo præceptori, F. Liberto Houthem.

QVos mihi Castalios fontes, quas Phocidos vndas,
Magnifico vatum carmine turba canit?
Quem mihi Parnassum memorant? quam laudibus A-
Extollunt? Helicon quid sibi collis habet? *scrā*

Castalios bibat hic latices, dormitet in Ascra
Qui volet, vt Phœbi numine plenus eat.
In te non frustra mi chare Liberte quiesco.
Sunt hæc in scriptis omnia namque tuis.

MARTINVS BANELT, F. LIBERTO PRÆCEPTORI SVO, PERPEtuâ Pyladæaque fide colendo.

AOnios mihi dent superi penetrare recessus,
Vt te sincero semper amore colam:
O mi Præceptor, vel me mihi charior ipso,
Commoda cum tanto nostra labore iuues.

FINIS.

APPROBATIO.

Libellus hic, cuius titulus est, *Ethica vitæ ratio*, nihil habet Fidei catholicæ contrarium: quod attestor

Gislenus de Vroede

Suffraganeus Mechliniensis.

Actum 12. *Septemb. Anno* 1577.